

rent hæretici, vel exurerent canones. Nunc autem non item. Sed nimirum ipsi mores nostros taxant, et interim etiam præcepta et canones, qui eos prohibent, exterminant et explodunt, quæ est hæc insania? Hac enim ratione Lutherus pravos ecclesiasticorum mores pleno ore maxima contentione calumniabatur et arguebat, et interim ss. canones pp. qui eosdem prohibent, proxime exurebat. Nimirum de istis dictum videtur id Isa. c. VI. *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggravata, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum.*

VI. Nos igitur, auditores, gratulemur nobis de matre nostra ejusque puritate; et quam ipsa præ se fert doctrinæ puritate, eam et nos filii in moribus ostendamus. Sed ut ita duo illa symbola summi sacerdotis, *urim* scilicet et *thummim*, id est, doctrinam et veritatem, seu ut alii vertunt, *illuminationem et integritatem*, in pectore geramus, Exod. XXVIII. illuminationem quoad doctrinam, integritatem, quoad mores.

CONCIO VII.

DE CEREORUM SIGNIFICATIONE.

I. Repræsentat Christum: 1. Ejus æternam generationem. 2. Et temporalem generationem. 3. Vitam et passionem. — II. Repræsentat B. V. Mariam. — III. Repræsentat quemvis fidelem: 1. Vitam ejus naturalem. 2. Vitam gratiæ. 3. Vitam gloriæ.

THEMA.

Parasti faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium. Luc. II.

Catholica Ecclesia, quia non omnibus per litteras repræsentare mysteria fidei et historiam Christi potest, rudioribus per imagines quasdam proponit et insinuat, quo nimirum et ipsi modo aliqui, quæ geruntur in Ecclesia, intelligere possint. Sic inter cætera depingit hodiernum festum per cereum ardentem, quem in templo benedicit et in manus fidelium dat, ut eo tamquam enchiridio saltem rudi ad cognitionem eorum, quæ hodie commemorantur, inducantur. Quare ut omnibus pateat, quid sibi velint hodierni cerei, id nunc exponendum restat.

I. Cereus benedictus repræsentat nobis Christum hodie in templo præsentatum, pro qua re facit quod festum hoc purificationis in vicem ludorum cerealium, gentilibus Romanis usitatorum institutum esse scribit Guil. Durandus, in orat. lib. VII. c. VII. Fingebant illi a februo seu orco,

qui et Pluto inferorum deus habitus, raptam aliquando Proserpinam, Cereris filiam. Mater itaque quo perditam recuperaret filiam, plurimis accensis facibus eam requirebat per montes et deserta. Ita auctor antiquit. Rom. lib. II. c. XI. Quid vero Proserpina illa ab orco rapta, nisi natura humana a tartareo Plutone rapta perditaque? Sed non deseruit filiam suam Ceres, id est, providentia divina; quæ accensa per incarnationem lampade, Christo videlicet, eamque undique per avia inviaque requireret. Unde apud Jeremiam, c. III. clamat: *Usquequo deliciis dissolveris filia vana? Id ipsum testatur hodie Simeon dicens: Parasti ante faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium: et Luc. XIX. ipsemet Dominus: Venit Filius hominis querere et salvum facere quod perierat.* Ad hæc recordamini illius mulieris Luc. XV. quæ drachma sua perditam, accendit lucernam et evertit totam domum quousque inveniret eam. Mulier illa, Dei providentia est, quæ accendit lucernam, Christum scilicet incarnatum, nam ut S. Greg. hom. XXXIV. in evangelium ait: *Lucerna lumen in testa est, lumen vero in testa est divinitas in carne.* Hac igitur lucerna, hac facula quæsitus undique et undique homo est, ideo totubique lumina et splendores in evangelio. Pastores circumfulsit lux magna, Luc. II. magos stella duxit ad præsepium, Matth. II. in transfiguratione: *Resplenduit facies Christi sicut sol*, Matth. XVII. Quin et in hodierna Christi præsentatione apparuisse B. Virginem divino lumine circumfusam in templo sentit Timotheus presbyter Jerosolymitanus, in oratione de Simeone. Tandem ipse de se dicit: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*, Joan. cap. IX. Quoniam igitur hodie lumen Beata Virgo brachiis suis in templum gestavit, gestamus etiam nos id ipsum hodie externo cereorum typo ad publicam lætitiæ indicandam. Cæterum aptissima est cerei eum Christo comparatio triplici ratione. Nam imprimis æternam Christi, qua Dei Filius est, generationem modo aliquo repræsentat; etenim D. Basilius, lib. II. contra Eunomium ait: *Oportet divinam de Deo generationem intelligere impassibilem, impartibilem, indivisibilem, sine tempore, instar resplendentis a luce radii.* Itaque uti radius a luce, seu lumen a corpore luminoso producit in aere, seu diaphano sine omni, sive lucis, sive aeris corruptione: ita Filius Dei, qui ad Hebr. I. *Splendor gloriæ et figura substantiæ Dei* vocatur, gignitur a Patre absque ulla corruptionis labe. Deinde, uti splendor lucis est coævus soli, verbi gratia, et si sol ab æterno fuisset ab æterno illuminasset: ita etiam Filius Patri coæternus est. Denique, uti non minuitur lux, quando producit lumen in medio; et cum cereus

a cereo accenditur, nihil hic deperdit, sed manet tantus, quantus erat, prius quam alteri communicaretur: pariter et Filius, qui in symbolo Nicæno lumen de lumine appellatur, ita suam totam a Patre recipit naturam, ut interim nihil ei demat. Cujus rei alterum simile affert S. Basilius, loco supra citato de artis communicatione: *Nam tota, inquit, ex docentibus in discipulos immissa: cum nihil desit docentibus, perfectio adsit iis qui didicerunt.*

Secundo, cereus temporalem etiam Christi naturam repræsentat: nam uti in cereo tria sunt quæ candelam unam constituunt, lumen, cera, stupa seu linum: ita et in Christo tres diversæ substantiæ unam constituunt Christi personam, divinitas, caro, anima. Lumen seu ignis divinitatem notat juxta id Deut. IV. *Deus tuus ignis consumens est*: quia ut elementum ignis superat omnia elementa claritate, subtilitate, levitate, activitate, situ seu altitudine, sic Deus omnia creata. Cera carnem Christi denotat, ut enim cera ab apibus ex purissimo succo, quem ex odoriferis hausere floribus, sine ulla earum contaminatione aut noxa conficitur: ita caro Christi opera Spiritus sancti ex purissimo Deiparæ sanguine sine illius labe coagulata est. Linum denique cera textum, animæ Christi typus est. Linum illud cum flammam concepit, ea totum igitur, non ita cera: sic et anima Christi ex prima sui cum divinitate unione, beato et beatitudinis dotibus ornata fuit: non tamen corpus Christi, nisi post resurrectionem.

Tertio, cereus Christi vitam et passionem indicat. Vitam quidem, quia sicut cereus illuminat calefacit, purgat, accendit, consumit et in se convertit res alias, continuo ardet et splendet: ita Christus cæcos et rudes illuminavit, infirmos fovit, leprosos mundavit, frigidos in charitate accendit, amorem mundi absumpsit, et in amorem se convertit, diu tandem noctuque nostri se causa fatigavit, denique fama sanctitatis, et miraculorum undique splenduit. Passionem vero quia non tantum lucebat, uti sol aut carbunculus, qui splendendo nihil patiuntur detrumenti, sed ardebat etiam et ardendo consumebatur, dum zelando pro gloria Dei et salute animarum, interim per vigiliis, fatigationes, sitim, famem, etc. et tandem in cruce per mortem prorsus consumptus est. Propterea, discipuli accommodant Christo prophetiam illam Ps. LXVIII. *Zelus domus tuæ comedit me*, Joan. II. (Symmachus legit *consumpsit me*) ut enim ab igne cera paulatim exeditur et in naturam ignis convertitur: ita et vita Christi a zelo, qui a charitate procedit sicut ardor ab igne: præterea uti flamma denigrat candelæ stup-

pam quantumvis candidam: ita zelus Christi non solum absumpsit ejus carnem, sed præterea etiam vulneravit, et quodammodo sædavit animæ ejus partem inferiorem dum omni gaudio (quod erat in parte animæ superiore) etiam destituit in cruce: quod illis verbis testatur Dominus: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

II. Cereus benedictus Beatam Virginem nobis repræsentat. Erat alia gentilium Romanorum festivitas quædam, hoc ipso mense februario, cum facibus accensis peragi solita, in memoriam lupæ, quæ Romulum lactaverat urbis conditorem et Faustuli pastoris uxor erat (grati animi ergo, ut habet auctor antiq. Rom. I. IV. cap. VI. Alii volunt idem festum in honorem Junonis, quæ idcirco Februata vocabatur, celebratum esse: Juno autem mater Martis erat, quem ex sola solo contactu et olfactu florum concepisse ferebatur, ut refert idem auctor, lib. II. c. X. Quidquid hac de re sit, recte Ecclesia hoc festum sive a lupa sive a Junone abstulit velut iniquis possessoribus, et ad Mariam Virginem transtulit. Ipsa enim est, quæ Christum Ecclesiæ conditorem lactavit ubere de cælo pleno, quæque eundem velut Martem nostrum, inferni domitorem et orbis, et sola Spiritus sancti odore tantum afflata, genuit. Merito igitur ad honorem ejus cereos ardentem hodie gestamus, ob triplicem ejus puritatem. Sicque protestamur eam purificatione legali minime indignisse. Primo, quia pura erat a sordibus puerperii seu secundinis, quas patiuntur aliæ mulieres in puerperio. Sic enim volunt plusquam ducenti patres in Trullana Synodo, et alii. Quemadmodum ergo ignis sine ullis sordibus purissimum ex se effundit radium; ita B. Virgo Christum genuit. Secundo, quia nulla unquam peccati labe inquinata, ex sententia omnium ss. patrum. Unde recte per lumen repræsentatur et ignem, qui nihil impuri patitur, sed omnia purificat. Tertio, quia corpore incorrupta et virgo ante, in et post partum. Typus enim castitatis cera est, quia opus apum, quæ commixtione non maculantur, sed virginali opere ceram conficiunt, quinetiam: *Mortuis ne floribus quidem, non modo corporibus insidunt*, ait Plinius, lib. XI. cap. VIII. Simili ratione in utero B. Virginis velut in alveari Spiritus sanctus instar apis castissimæ confecit ceram et mel, id est, cum virginitate fecunditatem, sine ulla corruptionis macula. Propterea igitur hodie facem ardentem manibus præferimus, ut Deiparæ puritatem publice protestemur, et contra omnes ejus hostes toti mundo ostentemus.

III. Cereus benedictus fidelem quemlibet et ejus vitam repræsentat, eumque triplicem. Primo, vitam naturalem, quæ instar cerei, cera, id est,

corpore, lychno, id est, anima, igne, id est, calore vitali constat. Si enim non ardet corpus nostrum, unde: *Fumus afflatus in naribus nostris?* Sap. II. Nonne is ignem intus latentem et perpetuo rodentem indicat? Quemadmodum igitur ignis paulatim depascit ceram ac tandem evanescit: ita in homine deficit paulatim calor vitalis, et cum eo vita quoque. « Quotidie morimur, ait Senec. ep. XXIV. quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde adolescentiam usque ad hesternam quidquid transit temporis, perit; hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus. » Hæc ille. Præterea uti cereus, ni sedulo custodiatur, et sæpius emungatur, facile extinguitur etiam antequam absatur: sic et hominis vita. Alter alteri sæpe vitam quasi flatu lumen extinguit: alii quam multi quasi candelam invertendo et lumen nimio gula pabulo obruendo vitam sibimet eripiunt: alios pestifer aer quasi flatus unus extinguit: omnes denique instar luminis destituti contabescimus et emorimur. Lustrare igitur cereum suum quisque debet, et quotidie perpendere brevitatem, ac fragilitatem vitæ suæ: quo loco consistat, quo in periculo versetur. Hoc ut cognoscere posset, orabat David, Psal. XXXVIII. *Notum fac mihi Domine finem meum, et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Chrysostomus ex Hebræo legit: *Ecce palmares, id est, palmo uno mensurabiles, quam longa scilicet est candela tua.* Ex hac consideratione fiet, ut facile contempnas terrenas opes, honores, etc. tam cito perituras.

Secundo, vitam gratiæ. De hac enim Dominus dicit, Luc. XII. *Sint lucernæ ardentes in manibus vestris.* Hoc lumen in baptismo accenditur, (unde et parvulis cereus ardens in manibus datur) servari porro in vita jubetur, juxta id Levit. VI. *Ignis in altari semper ardebit,* id est, gratia in corde; quo etiam sine hodie candelas gestamus. Conservari denique usque ad mortem jubetur Matth. XXV. ut cum iis venienti sponso occurramus; unde et morientibus lumen porrigitur. Porro lumen hoc tanto frequentius perlustrandum est, quanto facilius extinguitur quam illud prius: tanto diligentius, quanto est illo præstantius. Propterea Dominus, Luc. XIII. ait: *Vide ne lumen quod in te est, tenebræ sint:* et Apoc. III. *Scio opera tua quia nomen habes, quod vivas et mortuus es.* Scit utique Dominus, sed nescimus nos an ardet cor nostrum lumine gratiæ, necne. Certe uti candela nisi crebro emungatur, obscure lucet, et quandoque etiam extinguitur: ita et lumen gratiæ nisi id crebro sacramentorum usu et pecca-

torum etiam venialium extirpatione renovemus. Venialia enim ardorem charitatis minuunt, et quandoque extinguunt, ad mortale deducendo. Denique caute gestandum, ne extingatur; id quod docuit Gedeon, Judic. VII. qui lampades inclusit lagenis, et dedit eas in manibus singulorum militum, quas prælii tempore comploderent ut lumen appareret hostibus in terrorem. Lagenæ includimus gratiam et virtutes, cum ab eis ventum vanæ gloriæ arcemus, quo earum splendor servetur nobis in diem mortis nostræ, ad fugandos cacodæmones.

Tertio, vitam gloriæ quæ per lumen gloriæ acquiritur et possidetur. Unde sicut damnatorum animæ obscuris apparere corporibus: ita beatorum animæ luminosis solent: ignis etenim beatorum dotes optime repræsentat. Habet enim claritatem, habet subtilitatem, habet agilitatem, ut patet in fulmine, etc. Habet etiam modo aliquo impassibilitatem, quia maxime activus, et dominatur aliis elementis. Nihil horum habet vita præsens, sed obscura potius et tenebrosa est, gravis et onerosa est, tarda et tædiosa est, misera et ærumnosa est. Unde merito id queritur Tobias inquiens: *Quale gaudium mihi, qui in tenebris se-deo, et lumen cæli non video?* caput. V. Contra uti mane gaudent et cantant aviculæ: ita beatorum animæ illustratæ lumine beatificæ illius gloriæ. Atque: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum,* ut c. LVIII. Isa. et, c. LX. *Tunc videbis et affluens et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est, et ambulabimus in lumine ejus.* Quoniam ergo cereus ille ut vidimus designat nobis præcipue Jesum et Mariam, hos corde et ore gestemus, quemadmodum fecit Theodosius Canisius, Petri frater, apud Raderum, in vita Petri Canisii. Is enim cum ob mortem fratris nuntiatam consternatus et apoplexia tactus, voce pariter et memoria omni privatus esset, duo tantum illa salutaria nomina Jesu, Maria, deinceps et memoria retinuit, et expedite pronuntiare potuit, eaque identidem enuntiavit maxime sub finem vitæ, et cum jam ad utrumque amplius non sufficeret, alterum effatus est, linguaque magis hebetata, cum integre Mariam non posset, inchoato nomine verbum tertiat, dum elinguis deficeret. Hæc ergo et nostra sint symbola, nostri cerei, etc.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Discant præbyteri. — II. Discant senes. — III. Discant viduæ. — IV. Discant virgines. — V. Discant conjugati. — VI. Discant pueri.

THEMA.

Parasti candelam faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium. Luc. II.

Solet, auditores, in hodierna festivitate candelas benedictas distribuere populo sacerdos, quod etiam Romæ facit ipse summus pontifex. Huic ergo sacro ritui me accommodaturus, distribuam vobis candelas seu lumina spiritualia, quæ inventio in hodierno evangelio, ut sic, majore fructu gestemus cereos materiales.

I. Primam candelam jure merito damus presbyteris, hoc est, sacerdotibus et senioribus: sacerdotibus quidem, quia putant aliqui, ut Cyrillus, in homil. de occurso Domini, et Epiphanius de vitis prophet. Lyranus, Cajetanus, Canisius Simonem fuisse sacerdotem; siquidem benedixit Christi parentibus, quod erat sacerdotum munus, quod tamen utcumque se habeat, saltem senex fuit. Sacerdotes autem vocantur presbyteri, id est, seniores. Jam vero Sanctus Simeon justus et timoratus, Græce religiosus, venit in spiritu in templum, et cum ingenti gaudio, consolatione et desiderio accepit Christum in ulnas suas. Hujus igitur exemplo sint sacerdotes primo presbyteri in moribus. Senes non moventur facile ad risum aut gesticulationem seu jocos, licet audiant et videant faceta et ludicra: non curant vestium splendorem, symphoniam, choreas, etc. Sic respondit Davidi Bercellai, vocatus ab eo ad aulam regiam, II. Reg. XIX. *Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem; octogenarius sum hodie, numquid vigent sensus mei ad discernendum suave et amarum? Aut delectare potest servum tuum cibus et potus, vsi audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum?* Ita dicat mundo sacerdos, qui senex est dignitate, prudentia cæteros præcellens.

Secundo, justi sint et in Dei gratia, qui debent esse mediatores et internuntii inter Deum et peccatores; quomodo vero eos Deo conciliabunt, si ipsimet sint inimici? Unde S. Greg. I. part. past. cap. XII. ait: *Cum is qui despiciet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur; nec vulgarem tantum justitiam in iis requirit Deus, sed perfectam et sinceram quæ etiam parvas similitudines excludat.* Justum enim vulgo dici-

mus, quod omnes suos numeros habet et perfecte quadrat, v. g. justum calceum, qui apte pedi quadrat. Et quemadmodum viri aulici strictos gerunt calceos et ocreas in quibus nec minimum ferre lapillum possunt, qui pedi non mox doleat: cum e contra piscatores et agricolæ in ejus laxis ocreis lapillos non sentiant, ita conscientia sacerdotum, qui sunt Dei aulici, justa, id est, tenera et sincera esse debet, ut nec peccata venialia paulo graviora tollerent, sed mox exuto per confessionem calceo, conscientiam ab iis liberet quod tamen sæcularibus non requiritur.

Tertio, sint timorati quia cum quotidie ad Christi mensam sedeant, tanto esse cautiore debent ne Dominum suum offendant, audiantque illud idem, quod David in persona Christi ait Judæ, Psal. LTV. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem atque: tu vero homo unanims, dux et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibus, in domo Dei ambulavimus cum consensu: et quid tandem? Veniat mors super illos, inquit, et descendant in infernum viventes.* Quod fit cum sacerdotes male viventes sciunt se in eo statu, in quo versantur, salvos esse non posse, vident enim infernum sibi apertum, et locum apud Judam in eo sibi paratum.

Quarto, veniant in spiritu in templum, hoc est, primo, ducti a Spiritu sancto, et studio divini cultus impulsu non ambitione vel avaritia aut nusculorum gratia. Secundo, in spiritu, id est, cum spiritu et fervore ad sacra peragenda. Tertio, in spiritu, id est, alacri et hilari animo non ex tristitia aut necessitate: *Hilarem enim datorem diligit Deus,* II. Cor. IX. sed cum Davide, Psal. LIII. *Voluntarie sacrificabo tibi, id est, animo promptissimo.* Sic vocantur pauperes spiritu, qui voluntarie tales sunt propter Deum. Quarto, accipiant Christum, in ulnas suas, cum sacra scilicet peragunt simili affectu amoris et reverentia, quasi duobus brachiis Christum stringendo, venerando, mulcendo, etc.

II. Secundam damus senibus, ob ætatis prærogativam. Habeant sibi eundem Simonem, velut senem. Fuit iste senex justus, timoratus (Græce religiosus) in spiritu templum adiens, Christum accipiens in ulnas et tunc dimitti cupiens. Ecce vobis candelam, ecce vobis lumen, ad dirigendos pedes vestros. Sint ergo senes primo, justi et in statu gratiæ, siquidem in procinctu stant, et præstolantur adventum Christi in dies: unde semper esse parati ad migrandum debent, ut dicere possint cum Davide: *Quid mihi est in celo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum,* Psal. LXXII. Quando spicæ segetum sese ad

terram incurvant, messi propinquæ sunt. Itidem et senes, cum ad terram incurvantur, noverint se a mortis falce procul non abesse: ergo justi sint et spicæ justitiæ operibus plenæ.

Secundo, sint quasi religiosi inter sæculares, nuntium mittendo mundo, et dicando se totos cultui divino et orationi. Cur enim non spernant mundum a quo spernuntur ipsi? Cur non deserant illum, a quo deseruntur ipsi? Jam mundo saturati sunt, jam dolos et miserias ejus experti: mirum ergo est, si adhuc diligere mundum possunt. Exeant de Sodoma cives suos perditura, nec respiciant retro ad præteritas peccatorum illecebras et delicia.

Tertio, veniant crebro in templum, non corpore tantum, sed et spiritu: vel si corpore non possunt, veniant saltem spiritu. Ita Daniel, cum in captivitate Babylonica positus adire templum orationis causa non posset, ingressus domum aperiebat fenestras versus Jerusalem tribus temporibus in die, flectebat genua sua, et adorabat coram Deo suo, Dan. VI. Quando ergo senes corpore impediuntur ab ingressu templi, ingrediantur domum cordis sui et animi desiderio adsint missæ, concioni, fundantque orationes, quasi in templo adorarent: sic veniant in spiritu.

Quarto, cupiant dissolvi et esse cum Christo, verum juxta Christi placitum, non ad nutum suum. Hoc enim est Pythagoræ symbolum: *Injussu imperatoris neminem debere de statione sua decedere.* Hoc idem voluit Simeon cum dimitti petiit. Expectent ergo mortem, sed tardantem non reprehendant: *Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur,* ait apostolus ad Rom. XIV.

Quinto, quærant videre Christum et accipere in ulnas suas per communionem, antequam moriantur. Hic enim est baculus senectutis et peregrinationis eorum ad cælum, qui reget et sustentabit eos. Ita enim de eo canit Ecclesia: *Senex puerum portabat, puer autem senem regebat.*

III. Debemus viduis, et his damus Annam, siquidem et ipsa huic actui interfuit, nec minimum lumen fuit. Nam primo, commendatur a castitate, quam coluit, non modo in ipso matrimonio, sed etiam ante et post illud. Magna laus est viduæ, si florem virginitatis suæ attulerit viro suo: nec minor, si eidem fidem servet in matrimonio: maxima, si post obitum viri alterum non desideret, sed viduitatem colat, præsertim si cum sit adhuc juvenis id virtutis amore faciat. Omnibus his nominibus commendatur S. Anna, quia et virgo viro nupsit, caste cum eo vixit, denique vidua mansit quæ juvenis admodum fuisse

debet cum vir ejus moreretur, siquidem octoginta quatuor annorum vixit in viduitate.

Secundo, commendatur a cultu et servitio divino; serviebat enim Deo conversando semper in templo. Ergo tempus suæ viduitatis non impendebat sæculo, non conventibus et confabulationibus, non vagabatur de domo in domum; sed vixit velut monialis soli templo addicta et reliquo tempore domui suæ inclusa. Sic enim vocatur a Byrillo, catech. X. *Religiosissima monialis.*

Tertio, commendatur a studio orationis, quæ serviebat Deo sine intermissione. Nimirum vidua nemini securius loquitur, quam Deo: nec salubrius deponit suas querelas, quam apud illum, qui pater et protector est viduarum.

Quarto, commendatur a jejuniis: non impendit ergo viduitatem suam deliciis et libertati, ne furi castitatis suæ januam recluderet. *Consideravit ergo semitas domus suæ,* ut ait Sapiens, Prov. ult. et docuit viduas omnes, si thesaurum castitatis conservare velint, seipere vias domus suæ spinis sobrietatis et jejunii.

Quinto, commendatur a perseverantia, siquidem his virtutum operibus institit continuo ad ultimam usque senectam. Et hæc felix illa clausula, quæ omnibus virtutibus coronidem imponit, imo sola coronatur.

IV. Capiant virgines, virginem Mariam. Noverint primo, hanc egressam esse de domo, non ad ludos et choreas, non ad forum aut convivium, sed ad templum, ut faceret secundum legis consuetudinem, quæ facta rediit mox in civitatem et domum suam, ita decet virgines se continere, nec nisi ad templum et honestas occupationes in publicum prodire, iisque peractis statim in domum suam se recipere.

Noverint secundo, virginem Mariam ex mera humilitate legi subjecisse, cui nequaquam subja-cebat. Gerebat se ut aliæ puerperæ: cum tamen virgo esset, ne in elevationem scilicet vel ostentationem caderet, et thesaurum suum proderet. Altera hæc sera est custodiendæ virginitati, humilitatis videlicet, quam quædam non adhibentes thesaurum perdidit.

Noverint eam tertio, silentium servasse, et licet, quæ dicebantur ad ipsam pertinerent, nihil tamen locutam esse sed alios tantum audisse. Tertia hæc sera est et custos virginitatis. Nam virgo taciturna seriam se ostendit, prudentem et pudicam, ex quo fit, ut homines impudici tentare eam non audeant, quia frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Contra vero loquax levicula se monstrat et quasi suspensa foris hedera facile venalem. Quare juxta monitum apostoli, I.

Tim. II. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione.*

Noverint eam quarto, fidam et imperterritam. Cum enim hodie audisset a propheta, suam ipsius animam gladio transfigendam, non propterea in terram concidit, non capillos sibi avulsit, sed immota constitit præparans haud dubie animam suam ad tentationem. Sic vellem stare virgines in proposito pudoris, cum ventus tentationis acrior insurgit, licet aliquis stricto gladio mortem eis minetur. Cujus constantiæ exemplum præbuit Romana quædam matrona in prima urbis direptione, sub Alarico rege, ubi miles quidam Gotthus videns illam mulierem forma juventutis præcellentem, pudorem ejus tentavit. Sed cum illa piaculum aversaretur, miles stricto gladio mortem ei minatus, verum in collo tantum modicum inflixit vulnus. Mulier cruorem aspiciens, jugulum ferro præbuit malens mori quam fedari. Visa hac animi constantia barbarus obstupuit: et matronam in templum D. Petri duxit ecclesiæque custodibus eam commendavit, cum dono sex aureorum nummorum, ut eam viro suo illasam servarent, Niceph. I. XVI. cap. XXXV.

V. Debemus conjugatis. Sumant hi Josephum conjugem Deiparæ, tametsi et ipse virgo erat, etc.

Primo, discant ab hoc conjuges præsentare Deo, non mundo, liberos suos, ducere ad templum, missam, catechismum, quam primum sapere incipiunt: item manuducant eos ad nandatum Dei, et Ecclesiæ observationem. Sic Tobias senior filium suum ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato, Tob. XI. Græci filios ad scholas mittebant discendarum litterarum gratiæ: Persæ vero justitiæ discendæ gratia, Xenoph. lit. I. Cyropæd. Quanto æquius hoc observent christiani parentes? Sane ad hoc eis liberi a Deo dati sunt, ut eosdem illi sistant, quos et ab eis repetet aliquando in judicio. Sibi dictum existiment illud III. Reg. XX. *Custodi virum justum, quia si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Væ igitur parentibus, qui sistant liberos diabolo, docendo eos, quæ non decet, mundi vanitatem, superbiam, etc.

Secundo, ab eo discant tolerare æquo animo paupertatem et de ea non erubescere. Ecce enim tibi in viro de regio stemmate oriundo, in nutritio Filii Dei tandem rerum inopiam, ut non haberet agnum, quo Filium redimeret. Si enim tantum possedisset, ut agnum emere posset, ex lege debuisset emere et offerre, Levit. XIII. signum ergo est, quod non invenerit manus ejus tantum pretii, quantum sufficiebat ad agnum coemen-

dum; siquidem obtulerunt tantum munus pauperum, par turturum vel columbarum, non erubuit vir tantus profiteri suam inopiam et fortunæ mulctationem: quis ergo non cum illo libenter eandem ferat?

Tertio, ab eo discant largitatem in tribuendis eleemosynis, tametsi parum habeant. Quorsum enim putamus deposuit illud aurum quod magi obtulere. Si ex illo aliquid tunc superfuisset, agnum obtulisset juxta legis formam. Quare non immerito opinantur doctores, Canus, S. Bonaventura, Abulensis totum illud aurum vel Deo consecratum, vel pauperibus distributum esse. Magna profecto laus tribuere egentibus, cum ipsemet indigeas. Ob hoc commendat apostolus Macedones, II. Corinth. VIII. *Quod altissima eorum paupertas abundavit in egentes,* hoc est, quod, cum ipsi pauperes essent, largissime tribuerint.

VI. Damus pueris, puerum scilicet Jesum, qui, primo, cum in hodierna præsentatione legi Patris se submisserit, cui subditus non erat, quomodo non docet pueros obedire suis parentibus, deinde etiam mandatis Ecclesiæ et Dei? Neque verò, ut filius tantum, sed etiam ut servus obtulit se hodie, pretio redimendum. Sic filii serviant, etiam his, qui se genuerunt, quasi dominis, ut monet Eccles. cap. III.

Secundo, si ab infantia Christus se Patri obtulit veluti in servum, cujus erat Filius, et vos o pueri hoc facite. Si enim magni evadere vultis, a puero incipite. Audite magnum illum Platonem, lib. VI. de legibus: « Assero, inquit, eos, qui præstantes viri in aliquo evasuri sunt, ab ineunte statim pueritia oportere ad ipsum tam ludendo quam studendo in singulis negotio convenientibus meditari. » Hinc plerique inaximi sancti a teneris inchoarunt sancte et austere vivere, uti Samuel, Joannes Baptista, Paulus eremita, Antonius, Benedictus, Maurus, Placidus, Romualdus, Bernardus, Thomas Aquinas, Franciscus a Paula alique innumeri.

Proponat igitur quisque candelam suam, et quemadmodum lumen a lumine accenditur, ad exemplum illius accendat et cor suum, quo nimirum: *Sic luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona et glorificent Patrem nostrum, qui in cælis est,* ac demum sicut stellæ simul omnes in cælo fulgeamus in perpetuas æternitates.